

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.

1. Hörhel: De praecurvis partium factus ab illis ad uterum. Ita 1729
2. Hirschfeld: De pueras vel letarinae 1733
3. Hirschfeld: De incontinentia urinæ
4. Hocq: De lue venerea 1774.
5. Hoepling: De officio obstetricantium in partu naturali 1738.
6. Houelle: De febris cur pontinais paroxyscantibus 1771.
7. Hofmann: De Erysipelato 1700
8. Hofmann: De scorbuto 1700
9. Holtzsch: De anevrysmate incipiente pueri annosum 1722
10. Honold: De vera verae plumbatis pede 1722
11. Hornung: De paturientium situ 1733.
12. Kueber: De senecte culinaria suppelletili. 1766. 1720
13. Huguenin: De atonia uteri post partum ejusque regula harmonica.
14. Hulsius: De hysteride pueras 1764
15. Humboldt: De menstruis Dolori pectoris 1742
16. Huth: De pueris Horolatae.

DISSE¹⁴RAT^TO INAUGURALIS MEDICA
DE
H Y S T E R I T I D E
PUERPERARUM,
Q U A M ,
ADNUENTE SUMMO NUMINE
EX AUCTORITATE ET CONSENSU
ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ,
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
S U B M I T T I T
JOH. FRIDERICUS HULSEBUSCH
OSNABRUCENSIS.
AD D. VI. NON. MAJ. MDCCCLXIV.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI.
Typis Joh. Henrici Heitzii, Universitatis Typographi.

Dissertatio inaugularis Medicis

de

HYS TERRIDE PURPURA

In nullo morbo plus fortuna sibi vendicare, quam
ars: ars, quam natura, potest: utpote quum,
repugnante natura, nihil medicina proficiat.
Magis tamen ignoscendum Medico est parum
proficienti in acutis morbis, quam in longis.

CELSUS de Medicina, Lib. III. cap. I.

JOH. FRIEDERICUS HUSSERUSCH



DISSE^TAT^O IN^AUG^RALIS MEDICA
DE
HYSTERITIDE PUE^RPERARUM.

§. I.

Antequam veræ naturæ atque indolis Hysteritidis evolutionem adgrediamur, operaे premium omnino facturos esse, credimus, si de significatu litteræ paucissimis solliciti simus. Descendit autem vox ab *νύξ*, vel *ὕστηξ*, quæ generatim partes sexus sequioris generationi dicatas, præsertim oculis extus non patentes, sed intus absconditas significat. Speciatim vero matricem indicare, linguae Græcæ a) cultoribus notum est quam maxime. Altera pars vocis, ex qua conflata est, sive terminatio, adhibetur ad docendam partis alicujus inflammationem. Ex his igitur evidens fit, Hysteritidem, vi etymi, sensu lato genitalium partium internarum; stricto vero significatu uteri inflammationem designare. Dantur multa loca veterum artis salutaris monumenta-

A

rum,

rum, ex quibus liquido constat, hoc matricis malum illis
jam notum fuisse. In primis Græciæ artis medicæ princeps
HIPPOCRATES de hoc morbo in suis litterarum monumentis
b) saepius mentionem facit. Quum tamen neque in orbem
humorum circuitum, neque viscerum fabricam, neque ve-
ram corporis humani mechanicen atque œconomiam, peni-
tus perspexerint: mirum non est, illos, ut in aliis multis,
circa genuinam mali theoriam errore ductos fuisse; licet,
quod ad morbi nostri curam attinet, consilia nobis suppedit-
tent saluberrima. Nec recentiores Medici cur glorientur ha-
bere, testatur insignis dissensus c), qui obtinet in doctrina
de natura inflammationis, quippe quæ tantis adhuc tenebris
in ipsa litterarum luce involuta tenetur, ut sagacissimus HAL-
LERUS, ne theoræ quidem Bœrhaavianæ, qua totus fere ter-
rarum orbis litteratus regitur, subscribere in omnibus audeat.

a) FOESII *Oeconomia Hippocratis Alphabeti serie distincta*. Genevæ,
1662. p. 389.

b) HIPPOCRATES *de morbis mulier.* Lib. I. Sect. LXXXIX.
LXXXII. Lib. II. Sect. XX. XLIV. LIV. seq. T. II. Edit.
Liudeniæ. Lugd. Bat. 1665. CELSUS *de medicina* Lib. V.
Cap. XXI. p. 271. Basileæ, 1-48. GALENUS *de finitionibus*
T. I. opp. p. 67. Basileæ, 1562.

c) HALLERI *Elementa Physiologie corp. human.* Lausannæ, 1757.
T. I. Lib. II. Sect. I. § 31. *Noſologia methodica auctore F. Bois-*
sier de Sauvages. Amstelodami, 1761. T. I. Class III. p. 263.
seq.

§. II.

Est autem nobis Hysteritis partium genitalium interna-
rum præfertim uteri inflammatio cum febri continua conjun-
cta. Quid sit febris? quid febris continua? & cur hæc sem-
per inflammationem sequatur? jam fusi & pro dignitate ar-
gumenti explicare, neque arctiores, quibus continemur, dis-
fertationis limites, neque vires ingenii, quæ quam sint exi-
guæ, probe concisci fumus, permittunt. Supersedens au-
tem

tem his eo libentius, quum ex virorum in arte & scientia veritissimum monumentis solidissime exposita hauriuntur. Juvabit interea discrimen aliquod notasse, quod a parte vel loco desumitur, quem haec inflammatio tenet. Feminarum hoc malo perentiarum dissectionibus edocti sunt Medici, illud sedem suam habuisse modo in ipsa matrice, modo in partibus ad hanc pertinentibus, vel connexis. Maxime autem hue referimus ovaria, tubas *a)*, alas vespertilionum, ligamenta uteri lata atque rotunda *b)* & vaginam. Nec defunt exempla, vias urinarias, & intestinum rectum simul cum his affectis, quin & externas partes genitales *c)* cum internis simul inflammatas fuisse. Prout ergo & locus ipse, & loci amplitudo, quem inflammatio occupat, differt, dum vel uterus totus, vel tantum ejus pars *d)*, vel matrix sola, vel cum una alteraque parte adjacente, inflammatione turget: ita & febris concomitantis vehementiam variare experientia demonstrat.

- a)* *Traité complet des accouchemens par Mr. DE LA MOTTE.* à Leide, 1729. Lib. V. Cap. VII. Obj. CCCXVI. p. 635. *Précis de la Médecine pratique par Mr. LIEUTAUD.* à Paris, 1760. L. III. Scđt. I. p. 658.
- b)* *Traité des maladies de femmes grosses, par Mr. F. MAURICEAU.* à Paris, 1740. T. II. Obj. CCLXXXVIII.
- c)* MAURICEAU l.c. T. I. Lib. I. Cap. XXIV. p. 180. & T. II. Obj. LXV. DE LA MOTTE l.c. Obj. CCCXIV.
- d)* LIEUTAUD l.c. p. 658. MAURICEAU Obj. CCLXXXIX.

S. III.

Jam ad mali nostri causam proximam serutandam nos accingimus. Omnis inflammatio ponit stasin in vasis, quibus corporis humani humores coércentur, & attritum humorum stagnantium adactum a sanguine ad locum obstructum adpellente. Stasin vero adesse dicimus, simulac observamus impotentiam canalis fluidum transmittendum transmittendi decenter. Quod si igitur sanguis in vasis uteri vel plane non, vel

A 2

cum

cum difficultate fluit, stasis sifit. Probe tamen notandum est, non solam obstructionem, sive canalis obturationem & inde oriundam stasin humorum inflammationi producendae sufficere, sed sanguis ita stagnet in vasis arteriosis necesse est, ut a tergo adluens humor majori impetu in locum obstructum irruat, seu ob obicem positum motu validiori in fluidum stagnans impingat, & hoc majori vi contra resistentias a) ureat. Id quod & Illustr. HALLERI probant experimenta b), quippe qui obstructionem non statim gignere inflammationem centies observavit.

a) BOERHAAVE *Praxis medica*, Londini, 1731. T. II. §. 371 381.
Illustr. G. VAN SWieten *Commentaria*. Lugd. Bat. 1745. T. I.
§. 371.

b) l. c. p. 116. seq.

§. IV.

Uteri structuram, qui scire avet, adeat anatomicos a) & artis obstetriciae auctores b). Nobis in praesentia notasse sufficiat, uterum esse viscus, quod constat ex vasis subtilioribus, copiosissimis, & fibris contractilibus, mirum in modum sibi invicem intertexis, adunatis, complicatis, atque reflexis. Tanta autem copia matrix pingitur vasorum, ut nullum fere punctum c), quod non arteriis vel venis irrigetur, demonstrari possit, quum humores, uterum adluentes, vel vasa, quibus hi continentur non raro morbose dispositi inveniuntur, fieri omnino potest, ut obstructio & stasis hic contingentes inflammationi ansam præbere possint, imprimis si ob irritationem auctus a tergo adlitus accedit.

a) WINSLOW *exposition anatomique*, à Amsterd. 1752. T. IV.
§. 589. seq. *Essais Anatomiques par Mr. LERUTAUD*, à Paris,
1742. Secr. II. Artic. XXI. REGNERUS DE GRAAF *de Organis
generationis mulieribus*. Leidæ, 1672.

b) MAURICEAU l. c. T. I. Cap. IV. p. 17. seq. *L'Art des Accouchemens par Mr. LEVRET*, à Paris, 1761. P. I. SMELLIE *Traité de la Théorie & Pratique des Accouchemens*, à Paris, 1754. T. I.
Lib. I. Cap. II. Secr. II. §. III.

c) *Traité général des Accouchemens par M. DIONIS*, à Liege, 1721.
Lib. I. Cap. II. p. 41.

§. V.

Insignes quidem anastomoses, quæ cuilibet, matricem tan-
tum perfunctorie lustranti, jam patent, videntur potius con-
trarium suadere, & stasim, quæ minatur, illico iterum re-
movere, quum hunc usum illis competere a physiologis de-
monstretur *a*). Sed uterum ab obstructionibus, indeque
oriundis inflammationibus mirabiles vasorum anastomoses non
in tutum collocare, experientia quotidiana sat abundeque te-
statur. Nec deest ratio. Arteria enim, in matrice venis ca-
paciores *b*) sanguinem majori quantitate recipiunt, difficilius
vero in venas transmittunt, unde extensiones & secessiones
in aliena vasa frequentiores contingunt. Vicissitudines ac
distensiones, cum subsequentibus contractionibus, quas ma-
trix tempore gestationis, partus, & post fetus exclusionem
subit, demonstrant, illius vasa, tota quanta sunt, mirifice
permutari, corrugari, flecti, comprimi, coarctari, adeoque
faciliiori negotio sanguini transfluenti obicem ponere. Ni-
miam fibræ extensionem, vasorum robur imminutum sequi
ex pathologicis doctrinis constat. Ex hac laxitate canalium
majori evidens est, cur facilius post partum sanguinem inpa-
ctum in vasa matricis minora urgeri videamus. Dispositio
præternaturalis, quæ sanguini inhæret, non raro tam con-
spicua observatur, ut omnem anastomoseum usum eludat.
Et alia uteri statim post partum obtinens conditio, sanguinis
retardationi occasionem præbet. Scilicet vim derivationis *c*)
sive motum humorum impetuosorem ad uterum illico post
partum exclusum contingentem, idem efficere posse, in apri-
co est. Quum matrix dum partum tulit, ab aquis atque ipso
fetu late porrecta & explicata fuit, non potuit non sanguinis
irruentis impetum fortiter excipere; jam vero corporibus ex-
tendentibus omnibus remotis, nimirum effusis aquis, educto
fetu, & excussa placenta, incipit collabi, sanguinis impin-
gentis vim frangere definit; quum porro vasa uteri aperta
hient in cavum uteri evacuatam, & effluxui majori nil am-
plius obliuetetur, copia humorum major ex legibus hydrau-

licis hoc ruit. Si dein ex quacunque sit causa corrugationes fibrarum uteri superveniunt, orificia in cavitatem hiantia subito etiam obturentur necesse est, hinc transitus impeditus, & si nifus a tergo auctus accedit, inflammatio gignitur.

a) HALLER *prima Linea Physiologiae*, Gottingæ, 1751. §. 37. p. 26.

EJUSD. *Elem. physiol.* T. II. Lib. VI. Sect. III. §. 3.

b) HALLER *prima Linea Physiol.* §. 813. p. 536.

c) HALLER *Elem. Physiol.* T. II. Lib. VI. Sect. I. §. 40.

S. VI.

Sequitur causarum mediatarum scrutinium. Intelligimus sub causa mediata, quæ in corpore humano producit mutationem præternaturalem; vel saltim fientem non impedit, sed potius fovet. Exinde patet discriminem, quod inter causam occasionalem & prædisponentem constituunt, quarum illa ute-
ro talem mutationem inducit, ex qua stasis sequitur; hæc vero mutationem morbosam in utero fientem fovet, promo-
vet, vel factam sustentat. Præcipuas tam priores quam po-
steriores lustrabimus. Omnes vero prioris generis producunt sanguinis stagnationem, cui ob irritationem a resistentia in extremis cordi data supervenit major sequentis sanguinis ad stagnantem adpulsus. Hinc humoribus vel acritatem, vel immeabilitatem conciliant; vasa vero vel stringunt vel la-
xant. Vasa nostra, si sanitas corporis incorrupta viget, semi-
per humoris plena videmus. Si igitur canalis lumen minui-
tur, latex vitalis non libere excurrit, hinc coacervabitur &
stagnat. Si autem canales laxationem experiuntur, minoris ordinis canales ex illis orti ampliantur, distentantur, & glo-
bulis sibi non destinatis, introitum concedunt a), plerum-
que tamen ulteriore progressum impediunt. Tandem &
fluida & solida simul in causa esse possunt, quo humorum ver-
sus uterum regurgitatio major merito refertur.

*Etiam deinde alio modo: sicut debet esse etiam
intra) Illust. VAN SWIETEN I. c. §. 378 p. 640. utrue si
utriusq[ue] endere ex ratione ratione corporis humoralis
est.*

¶ A

§. VII.

Exclusionem fetus non in omnibus æquali tempore & facilitate absolvit, experientia obstetricalis satis superque testatur. Fac igitur, ut partus cum difficultate peragatur, nonne fibre ob nixus vehementiores, quibus in obstaculi remotionem nituntur, fortius contrahentur, arctius ac diutius vasa interlabentia prement & sic stans gignent? Et hoc eo facilius eveniet, quum in partu laborioso, ob nifus maxime intensos vasa uteri non tantum a fibris ipsius matricis contractilibus, sed & ab actione violenta viscerum in uterum, ob contractionem muscularum abdominalium & diaphragmatis vehementiorem, arctius comprimuntur, & sanguini præterlabenti eo citius obicem ponunt. Accedunt contusiones & compressiones, a capite oblique sito & uteri parietes durioribus pelvis ossibus adprime *a)*. Si tandem diuturnitate protractus partus viribus naturæ finiri nequit, sed manu obstetricis, non semper amica, vel ferramentorum ad applicatio-ne audaci absolvitur, detorsiones, dilacerationes, dilaniatio-nes vasorum matricis tot ac tantæ eveniunt *b)*, ut post mortem sepius horrenda damna, utero illata, hujus generis cadavera secando perterriti obstupescamus. Et sane quoties Medici non occasionem habent tristissimam, testes esse ejusmodi injuriarum à sapientibus mulierculis, vel Chirurgis audacioribus, matrici illatarum.

a) MAURICRAU *l. c. T. I. Lib. II. Cap. XXX. p. 343. & T. II. Obs. DXIX. DE LA MOTTE *l. c. Lib. V. Cap. VII. pag. 629. & Obs. CCCXIV. CCCCXV.**

b) MAURICRAU *l. c. T. I. Lib. III. C. XI. p. 420. DE LA MOTTE *l. c. Obs. CCCXIV. VAN SWIETEN *l. c. §. 375. p. 634.***

§. VIII.

Etiam si partum viribus naturæ sibi ipsi non raro sufficien-tis tandem felicioribus avibus, licet tardiori gressu, enitatur femina, tamen nondum in portu navigat *a)*, sed multis, iisque peri-

periculosisimis adhuc exposita est scopolis ac discriminibus. Placentæ, nisi ad casum extremum rem puerperæ deducere volumus, exclusio omni modo acceleranda, sœpe tamen ob locum iniquum, quem utero juncta occupat, vel ob vim contractilem fibrarum matricis plane abolitam, non prorumpit, sed adglutinata quasi remanet. Ejusmodi autem corpus, quum in putredinem, ut usu rerum edocti scimus, sit prouissimum b), in loco calido & humido relinquere, ubi in liquamen cadaverosum resolvitur, idem esset, ac feminam in capitibz periculum accessere. Extrahendæ igitur sunt secundinæ, sed evellendæ sunt manu sagacissima; quantam enim peſtem hic adferat manus improvida atque temeraria, lace-rando, contundendo matricis vasa, dum separationem placentæ molitur c), verbis vix exprimi potest.

a) DE LA MOTTE l.c. Lib. V. Cap. I. p. 587.

b) HALLER in *Praelec. Boeckhaav.* Gottingæ, 1742. T. V. P. II. p. 404.

c) MAURICEAU l.c. T. II. Obs. CLXII. CCLXXXIV. CCCLIX. CCCCLXXIII. DIV. DE LA MOTTE l.c. Lib. V. Cap. I. p. 588. Cap. VII. p. 629. HALLER l.c. p. 403.

§. IX.

Sunt quidem artis Obstetriciæ periti a), qui omnium harum violentiarum, quas matrix experitur, dum placentam manu extrahunt, probe consciï, cōsultius duxerunt, illam intactam relinquere, & putredini permittere. Dicunt, sanitatem feminæ integrum non tanto gradu periclitari, si placentæ retenta, corruptione spontanea liquefacta, sensim ex genitalibus emanet, quam si manu ejus excusio tentetur, modo tabi reforatio in humorum massam impediatur, vel saltim vis materiæ putridæ ad sanguinem delatae aptis remediiis in-fringatur. Mala enim, quæ extractionem violentam sequuntur, ob celerem progressum raro medelam admittunt; quum putrilagini placentæ, ob minus velocem processum, materiam injectionibus eluendo & sanguinem medicamentis bal-famicis

samicis condiendo, quin & absorptam evacuando obviare
sepius liceat. Verum enim vero, quem certus eventus du-
bio semper sit praferendus, & extractio secundinarum non
audaci manu instituta ab omni discriminine liberet: præstat
onsnino, nisi orificium pertinaciter clausum id vetat, illas ex-
trahere b), præfertim quem & usus in plurimis Medicos eru-
divit, frustulum etiam minus relictum maximas saepe indu-
xisse noxas c). Quodsi enim pars, multo magis si integræ
placenta remanet, vaia, quæ cum hac parte jam inutili con-
nectuntur, interdum se se non evacuant, hinc moles sanguini-
nis ob nimiam copiam recedere incapax retardatur. Taceo
acerrimum rodens, irritans, canales stringens liquamen, in
quod dissolvitur placenta relicta.

a) HALLER. Prædicit. T. V. P. II. p. 403.

b) HIPPOCRAT. de Superfætatione. Sect. V. sensim, inquit, hoc faciendum
est (scilicet extractio placentæ) non violenter, ne præter naturam
divulsa inflammationem inducat. De Morb. Mulier. Lib. I.
Sect. LXXVI. LXXVII. CELSUS l. c. L. VI. Cap. XXIX. pag.
492. MAURICEAU T. II. Obs. CCCCLXXIV. Dernieres Obs. XX.

c) MAURICEAU T. II. Obs. CXXIX. CLXII. CCXCIV. CCCLIX.
CCCLXII. DIV. DLI.

§. X.

Magno saepe infortunio contingit, ut fetu jam mortuo &
corrupto, vel non satis prudenti extractione pedibus prehen-
sis peracta, caput non sequatur, sed potius avulsum, ma-
trici inclusum remaneat. Matrix protinus se contrahens, &
caput undique arce circumdans a), adprimit orifica suo-
rum vasorum ex durioribus ossibus conflato capiti, inde ve-
ro canarium obturationem ac compressionem, quin & sanguini-
nis effluentis moram & corruptionem sequi, perfunctorie
etiam rem ponderans perspicit b). Capitis igitur relatio,
vel & ipsius fetus emortui c) numero infinitas mutationes
præternaturales in utero producit, quidni, si illius excusio
manu temeraria, vel quod deterius, ferramentorum saepe in-
congruo usu suscipitur, eveniet? Innumerabiles vasorum,

B

fiba-

fibrarum contusiones, tensiones, dilacerationes, quæ omnes
stasi occasionem præbent amplissimam d), id sane testantur.

a) MAURICEAU *T. I. Lib. I. Cap. IX.* p. 107. HALLER. *Praelect.*
I.c. p. 399.

b) MAURICEAU *T. I. Lib. III. Cap. II.* p. 420.

c) MAURICEAU *T. I. Lib. II. Cap. XXX.* p. 343.

d) VAN SWIRTEEN *I.c. §. 375. pag. 634.*

§. XL

Fetum excussum plerumque sequitur illico hæmorrhagia
largior, quæ nomine fluxus lochiorum insignitur, varix &
hic obtinent vicissitudines morbosæ, quibus hic fluxus tam
salutaris a naturali recedit. Sive igitur lochia imminuta, si-
ve abolita, sive depravata obseruentur, mala inducunt.
Fluxum abolitum, quum jam pro sua causa obstructionem
agnoscatur, facilime reliquis rebus conspirantibus in inflam-
mationem transire posse, probatione verbosiori plane non eget.
Si vero imminutus est, sanguis evacuandus remanet, cana-
les, quibus continetur, extendit, hinc vasa vicina, quorum
lumina adhuc erant aperta, vehementius frenantur, fluxus
reliqui sanguinis libere adhuc fluentis intercipitur a), & stas-
is nova inducitur. Datur & species lochiorum, in qua san-
guis emanans acrimonia, vel alia qualitate vitiosa inquinatus
est b). Ejusmodi lochia, quæ depravata dicuntur in scholis,
matricem ejusque superficiem post fetus & placentæ exitum,
quasi recrudescen tem irritant, unde fibrarum corrugatio &
canalium angustatio, quas eo citius stasis & inflammatio se-
quitur, quo minus sanguis ob labem morbosam jam contra-
etiam aptus est ad transitum per vasa minima subeundum.

a) HIPPOCRAT. *Epidemic.* *Lib. I. Sed. III. agr. IV. de morb. mu-*
ller. Lib. I. Sed. LIX. & LX. HALLER. Praelect. I.c. p. 412.
LIRUTAUD Precio. p. 658. BÆRHAAVE Praxis med. T. V.
p. 266. DE LA MOTTE Lib. V. Cap. VII. p. 629. MAURICRAU-
SI. I.c. T. I. Libr. III. Cap XI. p. 419. T. II. Obj. CCLXXXVII.
CCXCIX. CCCL

b) LEVRET *I.c. P. III. Cap. III. Art. I. Sed. III. § 845. & 847.*
MAURICEAU T. II. Obj. CCLIV.

§. XII.

§. XII.

Aërem frigidum, locis corporis humani non adsueticum admissum, multas & insignes in œconomia animali turbas efficiere posse, pathologicis principiis tantum leviter tincti cognitum habent atque perspectum. Refrigerationem enim, quam ejusmodi partes experuntur, solida stringere, incrassare fluida a), liquido patet. Stricturam solidorum non potest non presso pede sequi luminis vasorum imminutio, unde transitus humorum alias transmittendorum ægre contingens, ex quo ad perfectam stasis frequens humorum observatur transitio. Quamvis hæc mutatio externas tantum partes feriens, ad superficiem uteri internam rarissime penetret, quippe quod collapsus genitalium impedit: negari tamen non potest, hanc constrictionem in externis inchoatam, ob fibrarum tensionem & nexus arctiorem inter se ad internas usque continuare, ibique similem statum, licet minori gradu producere. Strictis autem fibris, partium genitalium præprimis internarum, atque in arcto stipatis matricis canalibus protinus supervenient stasis.

a) Confer. Praeceptoris aeternum devenerandi H. D. GAURII *Institutiones pathologicae medicinalis*. Leidæ, 1759. §. 426. seqq. BOERHAAVE *Institutiones medicæ*. Lugd. Bat. 1727. §. 747.

§. XIII.

Cibus aromatum fetus atque potus spirituosus, tantum abest, ut fluida corporis humani restituant amissâ; ut eorum dissipationem & secessionem ob circuitum a stimulo majori exacerbatum insigniter angeant. Inducunt igitur inimicabilitatem fluidis, solidis vero siccitatem. Quæ duæ dispositiones morbosæ, si simul eveniunt, facilissime transitum liberiorem per vasa minima intercipiunt, quippe qui vias patulas & humores fluxiores requirit. Puerpera gulosa, & eo usque suæ sanitatis contemptrix, si ne his quidem temporibus, adpetitum limitibus rationi sanæ congruentibus coerget, sed palati indulgere strenue pergit, ut largiori copia ejusmodi adsumta

ingurgitet, non potest non humoribus proclivitatem ad statim summe pertinacem conciliare, quae etiam praesertim post puerperium in matricis arteriis, ob insigues mutationes, quas subiit, protinus evenit. Et quod sane dolendum, ejusmodi errores, tam turpiter commissi, admodum raro ad medici medentis cognitionem pervenient, qui sepe omnium rerum antea bene cedentium catastrophen attonitus miratur.

§. XIV.

Animi pathemata physiologis nec nos pathologis omnino crucem figunt, quoties de modo explicandum est, quo mutationes animæ tot ac tam stupendos in corpore humano producere possunt effectus. Quamvis vero de ratione, qua animi affectus fibrarum oscillationem, humorum circuitus atque secretiones turbare, imminuere, augere possint, nondum sat is constet, & quamvis dubitandum sit, an posteritas unquam ad illud scientiæ medicæ & philosophicæ culmen perventura sit: tamen difficultas, qua hæc res premitur, rei certitudini plane nihil derogat. Animi perturbationes fibras stringere, arcire vasorum lumina, contractionem cordis augere, imminuere, sepe & turbare, humorum motum æque ac novorum liquidorum elaborationem ac secessionem concitare, confundere, communis rerum usu edociti scimus. Pueroram ergo motibus turbulentis jactationibusque animi fluctuantibus correptam, itas in humoris vitalis, quam hisce sub circumstantiis motus humorum a tergo major, & protinus a) inflammatio sequitur, experiri posse, evictum esse credimus.

a) LIEUTAUD *Precis*, p. 658. DE LA MOTTE &c. *Qbf. CCCCXL.*

§. XV.

Insignis est omnino consensus, qui in omnibus & singulis totius machinae humanae partibus & functionibus obtinet. Hinc mutatio præternaturalis in parte sepe admodum remota contingens multa & haud expectata gignit mala. Mammæ & matricem arcte inter se contineri, saltem in illis, ubi arteriæ epiga-

epigastricæ mammariis inosculantur, res est evidentissima. Verum enim vero, fac, ut hic nexus arctior non obtineat, nihilominus experientia testatur, cum œconomia animali fetus sequioris ita esse comparatum, ut, simulac sanguis majori copia & violentiori impetu ad uterum ruit, ob impedimenta vero in matrice hærentia libere emanare nequit, protinus ille ad mammae regurgitet & contra a). Si igitur ubera lacte turgida refrigerantur, lac repercuti & humores majori quantitate ad partes genitales secedere, saepius experuntur pueræ. Facillime vero humores magna copia uterum pertentes vasa capaciora replendo & distendendo, minora comprimunt, unde flumen sanguinis per ea remoram patitur, undæ strenue sequentes in latore vasis obstructi impingunt, hinc extensio & irritatio, qua adfluxus a tergo adauctus, & inflammatio gignitur.

a) HALLER. *Praedict. l. e. p. 439. 417. §. 76. seqq.* Ejusd. *principia Lineæ Physiolog. GOTTINGÆ, 1751. §. 848. p. 560.*

Ex disputatis patere arbitror, medicamenta & remedia omnia intempestive & præpostere adhibita, partim solidâ morbo mutando, partim fluidis vitium inducendo, vel intraque simul lœdendo obstructioni atque inflammationi occasionem præbere posse. Referimus vero ad hanc causarum procatarcticarum classem purgantia acria a), clysteres stimulantes b), medicamenta sic dicta aristolochica & calida omnia c), repercutientia, coagulantia, adstringentia, stricturas d), a fasciis abdomini post partum injectis arctiores. Tandem & violentia quævis e) externa utero dilata continuidet, trimpendo, secando, distrahendo, premendo egregiam inflammationi opportunitatem suppeditant. nō ogo eisibz xiiij. iiiiij. ibrejim

a) VAN SWIETEN *T. I. §. 376. p. 637.* MAURICEAU *l. e. T. II. Obs. CCXCIX. CCCXXXV.*

b) MAURICEAU *T. II. Obs. CCLXXXVII. CCXCV. CCCCVII.*

c) VAN SWIETEN *T. I. §. 375. p. 636.* MAURICEAU *T. II. Obs. CCXCIV. CCCLIX. CCCCCVII.*

- a) DE LA MOTTE *l. c.* Lib. V. Cap. VII. p. 629. MAURICEAU *l. c.*
 T. I. Lib. III. Cap. XI.
 e) LIEUTAUD *l. c.* p. 658. MAURICRAU T. I. p. 420. T. II.
 Obs. CCCVII.

§. XVII.

Corporum variæ dispositiones, quibus unum prius altero capax redditur infirmitatis cuiusdam contrahendæ, sœpe in causa sunt, cur morbus in hoc a causa prædisponente levissima oriatur, qui in alio ab innumerabilibus causis confluentibus suscitatus, vix exsurgit. Hinc patet ratio, cur puerarum altera, pro variis, quibus a natura donata est conditionibus magis prona inveniatur ad concipiendam, fovendam & alendam hanc vel illam ægritudinem, quam alia, etiam si nullum regimen diæteticum observet, nunquam experitur, sed ridendo spernit. Non infimum inter hujus generis conditio-nes obtinet locum ætas nimis tenera, quippe quæ ob irritabilitatem fibrarum majorem & inde oriundas constrictiones spasmodicas vehementiores fluida facilis a transitu arcet. Minima itaque causa occasionalis in ejusmodi corpore tene-rioris texturæ tantas potest gigiere mutationes, quæ in alio, quod incrementum perfectum adeptum est, ne fibrillam quidem aut particulam fluidorum minimani movere valuerint. Quemadmodum vero ætatem juniores mutationibus quibusdam morbos magis obnoxiam videmus: sic & ætatem proiectorem alios, immo non raro multo gravioribus morbis subjectam esse, quotidiè experiuntur medicinam facientes Medici. In adulta enim & annis jam ob sita puerpera, quum ob rigiditatem fibrarum canales fluidis densioribus & impactis difficulter cedunt, justo fortasse citius & contra omnem exspectationem impotentia vasorum fluida alias transmittenda rite transmittendi oritur. Ex dictis ergo elucescit, disponere ætatem teneram æque ac nimis annis proiectam ad nostrum malum, licet non negandum, ob discussionem, vel resolutionem in hac non nisi ægre contingentem, has præ illis magis pericli-tari, de quanam re plura, si de prognosi verba facturi sumus.

§. XVIII.

§. XVIII.

Symptoma in puerperis frequens debilitas partum in primis laboriosum indivulso sequitur nexu. Circa varias hujus debilitatis causas non morabimur, observamus tantum, in debilitate languescere omnes actiones, languere præcipue humorum circuitum, & hunc eo tardiorem observari, quo magis pars a corde remota a), & quo subtilius lumen vasorum, quæ fluido transitum concedunt, existit. Languidum humorum in enervato corpore motum citius admittere, quin & fovere fluidorum stagnationem, pathologia nos edocet, modo ipso, a quocunque demum sit errore, minima occasionalis causa superveniat. Humores vero languidius propulsi & semel stans contrahentes non raro corrumpuntur, acres fiunt, irritant fibras uteri & ipsis contractionem spasmodicam inducent. Perinde etiam erit, sive hæc debilitas jam ante partum in corpore a morbo diutius tolerato, vel a quacunque alia causa originem ducat, ut hinc corpus, viribus vitalibus jam exhaustum, puerperio adlatum sit, sive jam demum a partu laborioso vel præternaturali contracta sit virium inopia.

a) HALLER. Element. physiol. T. II. L. VI. Sect. I. §. 22. p. 185.

§. XIX.

Corpora, quorum fibras majori sensibilitatis aut irritabilitatis gradu prædictas videmus, a quibusvis fere injuriis extensis graviter leduntur. Præcipue videmus, fibram magis irritabilem, majore velocitate contrahi, ocyus a rebus in illam agentibus mutari, hinc cavum, cuius parietes format, arctare, ex qua coarctatione non potest non transitus fluidorum per vasa minima alio modo evenire. Admittit itaque, & citius auget, hæc junioribus, vel & aliis corporibus sape a natura attributa dispositio, omnia mala, quæ oriuntur a rebus in illud incurrentibus & stimulando agentibus. Matrix ergo ex fibris facile irritabilibus conflata, & in partu laborioso manibus rudioribus contrectata, vividius sua vasa contractat,

ardat, sanguinem fortius infarcit, impactum dein retardatur. E contrario fibra uteri, haud acutiori sensu vel irritabilitate donata, dispari velocitate & vehementia convellitur, hinc sanguini in canalibus suis fluenti majorem concedit permeabilitatem.

§. XX.

Per multis in feminis tantam proclivitatem ad spasmos sive contractiones spasmodicas sive obscuramus, ut ab injuria prope nullius momenti, sive animo sive corpori illata, quasi totae rigide convellantur. Observamus autem, in praxi clinica illis precepsim confusiones & motus animi turbidiores maximas adferre molestias, quibus rei cuiusdam ingratiae representatio jam sufficit ad producendas turbas plane mirificas. Omne igitur objectum, nervos vehementius adfciens, his diurniores atque maxime nocivas creare ægritudines posse, patet. Hinc potus & cibus aromate secatens, refrigerium partibus insudantibus negligenter admissum, temeraria partium genitalium adhuc crudarum contrectatio, obstructions inflammatorias haud difficili negotio inducit.

§. XXI.

Deinde & vitae genus & clima, quatenus habitum totius corporis magis strictum efficiunt, in censum hic veniunt. Experientia enim medica testatur, rigidioris compaginis vasis spissiora quoque inhærente fluida, & canales humores sibi ratione densitatis proportionales vahere a), physiologi probant. Fluida autem densa in vasis strictis circumacta facilius, si reliqua non abhorrent, moram contrahere & interdum retardationem graviorem pati, cuiilibet patebit, qui modo de subito motum sanguinis per canales graciliores considerat, simulque perpendiculariter, hic & lumen vasorum minus, & molem morendam magis compactam & difficiliorem globulorum, ob gelatinositatem aductam, a se invicem separationem, libiore cursus impedire. Ex his omnibus mihi evidens esse vide-

videtur, causas procatarcticas eo citius statim producere conspicuam, quam ab hac corporis conditione, nimirum robore fibrarum intensiori & flexibilitate inde pendente minori, illa non tantum admittatur, sed etiam foveatur, quin immo alatur.

a) BORRHAAVE *Praxis medica* T. I. p. 2. HALLER. *principia Lin.*
Physiol. §. 168.

§. XXII.

Innumerabiles aliae dispositiones sese offerunt, quæ aliquid contribuunt, ut breviori tempore & a levioribus causis sanguis in matricis vasis stagnet. Plethora ponit humorum copiam, in toto corpore, hinc & in vasis matricis, majorem, inde vasa magis turgescent. Uterus vero in sui contractio-
nem semper nitens, vasa minora ad�icat majoribus, a fluido impacto turgentibus, quo transitus liberior per exiles canales magis impeditur. Spissitudo humorum, quævis acrimoniuarum species, multum quoque conferunt, ut mora, a cau-
sis procatarcticas humoribus inducta, citius conspicua evadat.

§. XXIII.

Ex suis igitur causis tam procatarcticas (§. VII. ad XVI.), quam proegumenis (§. XVII. ad XXII.) hoc semel natum matricis malum variae & interdum laboriosissimæ functionum lœsiones sequantur necesse est. Fluunt autem quoad maximam partem hi effectus ex impotenti transmittendi fluida transmittenda, & ex impulsu undæ a tergo sequentis in sanguinem stagnantem intensiori. De omnibus vero pathologi in theoria inflammationum uberioris sermonem faciunt. Quum plurima signa pathognomonica inflammationis in parte quadam interna ortæ, neque oculis, neque manibus Medici pa-
teant, illa tamen utique adesse ex analogia concludimus. Sunt tamen præter effectus inflammationis maxime essentiales & alii, qui non æque constantes, & ob febrim, quæ e ve-

C stigio,

stigio, inflammationem concomitatur, tanta tamen multitudine prorumpunt, ut satis magna caterva malorum saepius obrutas videas mulierculas. Possunt autem omnes haec sequelae in duas classes commode redigi, alia enim observamus symptomata in ipsis partibus genitalibus & maxime vicinis; alia ad omnes totius corporis partes, immo saepe ad remotissimas usque porrigitur.

§. XXIV.

Mutationum morbosarum, quibus matrix, inflammatione correpta obsessa tenetur, non infima est tumor *a*), qui durus, rotundus, in regione hypogastrica plerumque conspicuus, licet etiam in nonnullis ægrotantibus paulo altius, quin & magis ad laterum alterum inclinans tactu percipiatur. Inflammatio enim, quæ sine obstructione vasorum ne cogitari quidem potest, humorum effluvium in cavum matricis non solum impedit, sed & ob sanguinem impetuosiori adflui in fluidum impactum irruentem copiam eorum jugiter auget, hinc substantia matricis expansa & ipsius moles aucta redditur. Accedit ob canales humore infarcto turgidos contractio uteri impedita, persistit igitur interdum fere eadem magnitudine, ad quam tempore gestationis fetus excreverat *b*). Diversitas autem loci, quo ejusmodi tumor renitens deprehenditur, dependet a vario uteri situ, aut a diversa ipsius parte inflammatâ *c*). Quodsi enim situs matricis naturalis obtinet, sive quod idem, si in axi pelvis hæret, in regione pubis vel ad umbilicum protensa tactu sentitur. Si vero situs a naturali recedit & obliquus, modo ad dextrum, modo ad sinistrum latus perverse deflectens, obtinet, manu tangentis regiones abdominales se sistit mox in regione iliaca dextra, mox sinistra, licet etiam saepenumero supra umbilicum, vel adeo ad hypochondria usque extendatur.

a) MAURICRAU *l. c.* *T. I.* *Lib. III.* *Cap. XI.* *p. 420.* *T. II.* *Obs.* *CCLIV.* *CCXCIV.* DR LA MOTTE *Lib. V.* *Cap. VII.* *p. 629.* *& Obs.* *CCCCXIV.* *CCCCXVI.* LIBUTAUD *Precis p. 657.* LEVRET *l. c.* *§. 867.* *& 869.*

b) MAU-

- b) MAURICRAU *i. c.* T. II. *Obs.* D^oX^cI^V.
 c) DE LA MOTTE *i. c.* *Obs.* CCCXIV. CCCCXV. MAURICRAU
i. c. *Obs.* CCXCIX. D^oX^cI^V.

§. XXV.

Dolor fixus ardens, arietans sive pulsatorius, & pungens sive punctorius fere semper hysteritidem comitatur *a*). Extensionem fibræ sensilis protinus excipit dolor, qui eo acutior, vividior percipitur, quo rupturæ fibra propior est. Tumor in utero eo tempore, quo inflammatione detinetur, sine canalium ampliatione & fibrarum distractione oriri nequaquam potest. Vexat ex hac ratione dolor molestissimus, qui a sanguine coacto & in vas impulso dependens, loco cedere nescit, hinc fixus persistit. Arietatio autem sanguinis humorem stagnantem a tergo aduentis non solum tempore systoles cordis & arteriarum distensionem canalium, unde dolor ad singulas arteriarum micationes increvit, sed & attritum violentiorem, vel globulorum inter se, vel cum parietibus, adeoque calorem omni modo adauget. Ad resolutionem enim partium oleosarum ab alcalicis indeque liberationem particularum ignearum cum nonnullis configere *b*), saltim in principio mali fieri nequit, licet, si serpit malum, ita ut in gangrenam abeat, id evenire posse, non negemus. Ardor semper congruit frictioni, quæ eo major est, quo vehementius particulae ad se invicem adlidunt, & quo minor copia leviorum praesertim ferosarum interlabentium existit. Quam ob rem ex multa rubidine & vehementia ardoris magnitudinem inflammationis dijudicamus. Varietas tamen quædam horum dolorum etiam notari meretur. Scilicet dolores alias ardentissimi, non raro mitiores protinus observantur, si supina jacet atque quieta puerpera. Simulac vero in unum alternumve latus vertitur, tanta dolorum atrocitate in regionibus lumborum hypogastricis, tensioneque insigni in regionibus inguinalibus & partibus crurum superioribus corripitur, ut

dirissimis conqueratur cruciatibus c). Id quod a distractione ligamentorum latorum, in primis rotundorum provenire, dum matricis volumen, cuius pondus ob sanguinem congestum insigniter auctum est, in oppositum latus prolabitur, verisimilium ex eo videtur, quia ligamenta sic dicta rotunda post exitum per annulum, & transitum inguinum ad superiora femorum, regionemque pubis prorepunt d), ibique disparent. Variat autem hic dolor quoque pro sede mali, hinc modo in dextra, modo in sinistra e), modo anteriori, modo posteriori, modo magis superiori, modo magis inferiori loco sentitur.

- a) HIPPOCRATES de *Morb. Mulier.* Lib. I. Sec. LXXXII. LEVRET l.c. §. 867. MAURICEAU CLXII. CCLIV. CCLXXXVII. CCXCIV. CCCL. CCCLIX. CCCCLXXIII. DIV. DE LA MOTTE l.c. Obs. CCCCXIV. CCCCXV. LIEUTAUD *Precis* p. 657.
- b) HAMBERGERI *Physiologia Medica.* 1752. p. 24.
- c) MAURICEAU T. II. Obs. CCCL. DE LA MOTTE *Obs. cit.* LIEUTAUD *Precis.* p. 658.
- d) DIONIS l.c. Lib. I. Cap. II. p. 93. LIEUTAUD *Essais.* p. 360.
- e) MAURICEAU *Obs.* CLXII. DXCIV.

§. XXVI.

Orificium uteri in Hysterite invenitur attacitu tumidum, durum, retractum, clausum, dolorificum, servidum a). Vera cynosura omnis artis obstetriciae uno omnium consensu exploratio, quæ tactu instituitur, & quæ HIPPOCRATI jam nota fuit b), habetur. Quum igitur in maximis & saepe intricatisimis ægritudinibus hoc subsidium splendidissimum non solum lucem accendat, sed & præferat: nullum plane superstet dubium, quin & in hoc morbo inter media maxime congruentia referri mereatur, quibus ad verum ægritudinis statum expiscandum via panditur aptissima, tutissima. Ab inflatione vasorum sanguine infarcto & condensato turgidorum, præprimitis si malum segmentum uteri inferius detinet, orificium uteri evadere tumidum, durum, & ab intemperie

perie calida particulari in hoc viscere in præsentia furente etiam fervidum sentiri, liquido patet. Retractum autem contractando cognoscimus matricis orificium, si sedes mali magis in partibus lateralibus, vel & ipsius fundo figuratur, tunc enim hæ partes magis atro sanguine stagnante inflatae retrahunt illud atque plus minus planum reddunt. Ab extensione laterum uteri ejus ostium magis planum reddi, ex gestationis historia liquet c). Dolorificum tandem illud sentiunt feminæ, ob fibras jam tensas, quæ digiti attactu magis distrahuntur, unde doloris vividior sensatio oritur.

- a) LEVRET l.c. § 868. & in Not. ad MAURICEAU Aphorismos Sect. CCLXV. MAURICEAU T. II. Obs. CLXII. CCXCIV. CCCLIX. DIV.
- b) de natura muliebri. Sect. XI. §. 12. HOLLERIUS ad Hippocr. Aphorism. Sect. V. Aphor. § 4.
- c) ROEDERER Elementa artis obfetr. Gottingæ, 1759. Cap. IV.

§. XXVII.

Tenesmus & alvus obstructa non raro hystericu superveniunt. Continuus alvum deponendi stimulus, quo tamen nihil egeritur, qui ergo irritus est, oritur ab irritatione, quæ ob nexus arctiore, qui inter matricem & intestinum rectum intercedit, ad hoc etiam exporrigitur. Eadem & contractionis canalis intestinalis violentæ & secretionis liquorum & muci intestinalium parcioris, hinc & duritiae fecum ac segnitiei alvi quam & plenariæ obstructionis egestionis alvineæ existit causa a). Tanto major autem periculi gradus subest, quo majori pertinacia perseverans tenesmus vel & stricta alvus observatur. Sæpiissime contractions spasmodicæ in hoc loco eosque increscunt, ut enemata, quin & ipsam siphonis canulam admittere renuat intestinum, hinc & ob constrictiōnem vehementiorem nimis fortiter repugnando omnem siphonis vim, quæ sub adlicatione fluida injicienda urget, prorsus eludat.

- a) MAURICEAU l.c. T. I. Lib. III. Cap. XI. p. 420. LIBUTAUD Precis p. 658. HIPPOCRATES de morb. mulier. Lib. II. Sect. XX.

§. XXVIII.

Urinæ a) retentio, stolidicum & ardor multum negotii in hoc morbo & ægrotantibus & medicinam professis faciunt. Quemadmodum vero partes, quæ a parte posteriori genitalibus necuntur, ægre adficiuntur: sic & parti anteriori connexæ ex pari ratione non raro eadem experiuntur mala. Sphincter enim vesicæ collum ambiens, ob irritationem ab inflammatione in matrice præsentem constrictus, impedit, quo minus urina pleno rivulo effluat, sed potius in cavo vesicæ, illud continuo magis expandendo, maximo cum ægrotæ incommodo remaneat. Ardor vero urinæ, quum sine acrimonia insigni fibras sensiles vesicæ, colli vesicæ atque urethræ vellicante, concipi nequeat, tum demum observatur, si humorum massa notabilem contraxit salium copiam, qui paucioribus aquosis soluti latici inhærent. Attamen quum ejusmodi humorum acritudo, rarissime, si unquam, observatur, & vasa renum constringendo transitum urinæ ad vesicam haud concederet: statuamus necesse est, particulas acres in vesica demum magis extricatas atque evolutas fuisse. Id quod eo facilitius evenit, quo diutius remoratur in vesica ab utero inflammatu magis calente.

a) DE LA MOTTE I. c. Obs. CCCCXIV. CCCCXV. MAURICRUS
I. c. T. I. p. 420. LERUTAUD Precis p. 658. HIPPOCRATES
de Morb. mulier, Lib. II. Sect. XX. Aphor. Sect. V. Aph. LVIII.

§. XXIX.

Rubor vaginalis cum vasorum in illa disseminatorum turgida elevatione & ingens denotat inflammationis incrementum & longe lateque serpens malum, adeo ut interdum, licet rarius & labia vulvæ in consensem trahantur a). Canales enim vaginalis, quum a sanguine inflammatorio turgeant, parietes illorum distracti tenuiores evadunt, hinc ruber globulorum sanguinis color lœte translucet. Si & oculis non patenter hæc loca, quæ summa religione, licet non raro intempestive, celantur,

lantur, tactu dum orificii conditionem rei certitudinem quærens Medicus explorat, vaginæ vasa siepe turgidissima distin-
cte percipit. Experientia præterea probavit, omne omnino
discrimen in illis inflammationibus adesse, si ejusmodi status,
in externis obtinens, simul & internas simili labe corripiat.

a) MAURICEAU *L.c. T. I. Lib. I. Cap. XXIV. p. 180.* DE LA MOTTE *L.c.*

§. XXX.

Lochiorum fluxus immunitus, depravatus vel & plane
abolitus potest matricis inflammationem gignere, & etiam
frequentius ex illa nasci a). Videtur quidem hoc cum ratione
pugnare, non autem esse, cur timeamus repugnantiam ad-
curata rei consideratio demonstrat. Si enim ex causa haud
expectata, ut acriori gelu vel animi fluctuatione minus mo-
derata simul atque semel ob fibrarum & vaforum stricturam
vel spasmum, & inde ortum in solidis renisum, stasis indu-
citur, & ab irritatione, quam resistentia sanguinis impactu
cordi data excitat, causa inflammationis proxima nascitur,
ipsa lochia reperiuntur, crescit ob flumen humorum à ter-
go urgentium congesio & accumulatio in canalibus capaciori-
bus, unde vicinorum minorum & minimorum compresio,
& sic in his nova haesitatione, novaque inflammatio incenditur.

a) MAURICEAU *L.c. T. II. Obs. CCLXXXVII. CCCCLXXIII.*
DE LA MOTTE *Obs. CCCCXIV. CCCCXV.*

§. XXXI.

Sed & in aliis corporis partibus conditio præternaturalis
in matrice prognata mutationibus morbosis & maxime con-
spicuis sepe exserit. Proximum est, de symptomatibus dice-
re, quæ in cavitate abdominis, quippe in qua uterus, sedes
mali, inclusus hæret, contingunt. Volumen matricis ob
sanguinem in illa demorantem magis magisque augescit. Vi-
scera itaque infimi ventris præsertim intestina, dum ob mo-
lem auctam ex pelvis angustiis magis adscendit matrix, sursum
propel-

propelluntur, unde abdominis jam aliqualis intumescientia. Deinde ob spasmus in intestino recto furentem, aeri in intestinis contento via præcluditur, & hic ab exitu arctetur. Remanet igitur, extendit canalem intestinalem ad insiguum capacitatem, unde infimi ventris inflatio & distentio sæpe summa atque miranda a). Uterus vero ipse, sanguine inflammatorio gravidus, pondere suo premit vicina b) atque gravitatis sensum excitat, quem in regione pubis, vel pro vario matricis situ, interdum in alia regione experiuntur puerperæ.

- a) HIPPOCRATES de Morb. Mulier. L. I. Sez. LXXXIX LXXXII.
Lib. II. Sez. XLIV. MAURICEAU T. II. Obs. CCLXXXVII,
CCCLIX CCCCLXXIII, DIV. DE LA MOTTE l. c. Obs. CCCCXV.
b) DE LA MOTTE l. c. Obs. CCCCXV.

§. XXXII.

Abdominis reliquæ partes non parum simul adficiuntur & ægrotant, ob nexus conjunctiorem, qui inter has nervorum ope, in primis intercostalis magni, intercedit. Inde evenit, ut partes magis irritabiles in consensum trahantur ac morbose mutentur, quum minus irritabiles vel plane non, vel nisi cum difficultate irritatæ tardissime convellantur. In hac diversæ irritabilitatis scala non infimum obtinet locum ventriculus a), qui etiam ob copiosissimos nervorum ramulos, quibus donatus est, facilime contractione, quæ fit præter naturam, convellitur. Ex hac ratione tam crebriores vomitus b) in hoc malo quasi sua sponte supervenientes vide mus, qui tamen ob machinæ humanæ economiam turbatam necessariis & maximis de causis eveniunt. Quodsi & duodenum sese arcat & constringit, urget bilem in ventriculum, quæ deinde, stimulando contractionem ventriculi efficiens, rejicitur. Et diaphragma interdum easdem ob rationes yellatum, convulsum observamus, unde singultus c) moleustum sæpe ægrotantibus symptoma insequitur. Si hæc mala diutius

debetq

tius persistunt & præprimis febris majori sœvit acerbitate facillime & convulsiones d) in corporibus sensiliорis texturæ oriri, experientia testatur proh dolor tristissima.

a) GAURIUS l. c. §. 175.

b) LEVRET §. 867. MAURICEAU *Aphorif.* CCLXIV. LIEUTAUD *Precis.* p. 658. DE LA MOTTE l. c. Obs. CCCCXV.

c) LEVRET l. c. MAURICEAU l. c. LIEUTAUD l. c. DE LA MOTTE l. c.

d) MAURICEAU. T. I. p. 420. T. II. Obs. CCLXXXVII. CCCLVIII. DXCIV.

§. XXXIII.

Pruritus non lenis, qui frequentius in acutiorum transitu dolorem, etiam mammas in hac ægritudine vexat. Supradictum jam monuimus consensum uteri cum mammis, sive a vasis epigastricis, sive ab aliis conditionibus derivetur, insignem & per experientiam clinicam extra omnem dubitationis aleam possum, efficere, ut, secretione lactis imminuta, humorum massa majori quantitate uterum petat; e contrario effluvio minus largiore contingente, protinus laticem vitalem ad ubera regurgitare sentiunt puerperæ a). Genitalia itaque si inflammatione corripiuntur, transitu humorum liberiori haud fruuntur, hinc refusio ad mammas observatur copiosior, earumque vasa intumescunt, fibras sensiles diducunt, & si hoc minori tantum gradu contingit, pruritus, si vero majori b), dolor sœpenumero excitatur acutissimus. Et hoc eo facilius evenire videmus, quo amplioris expansionis capax locus c), quem solis integumentis tectæ & multa pinguedine submersæ occupant mammæ, ab omni compressione immunes.

a) HALLERI *Prælect.* T. V. P. II. p. 437. not. c.

b) LIEUTAUD *Precis.* p. 658.

c) HALLER l. c. Ejusd. prim. Lin. Physiol. §. 849.

§. XXXIV.

Compluries vero eodem modo, quo regurgitatio sanguinis ad ubera augetur, eandem etiam ad caput majori evenire

D

copia

copia & vehementia, experiuntur Medici medentes. Possem hic ad stabilendam hanc veritatem provocare ad leges hydraulicas, quibus fluidum pressum, versus omnes quidem plagaæ æquali tendens velocitate, majori tamen impetu illuc cedit, ubi renis deminutus ampliorem concedit viam. Sed varias ob conditiones, quæ sepe harum legum adlicationi, qua iatromathematici centies fallunt & falluntur, ad machinam corporis humani, singulari prope ratione & sapientissime a Creatore constructam, omnino officiunt, cautissime in hac naturæ lege adhibenda versemur, necesse est. Castam experientiam, ut in omni scientiarum naturalium genere, ita & in medicina optimum semper fuisse, & futurum esse cognoscendi principium, sexcenta phænomena nobis dant satis evitatum. Impulsu igitur fluidorum ad caput, & generatim ad superiores partes, ob transitum per ramos arteriæ descendentes magis impeditum, acerbiori contingente, oritur præcipue in cerebri vasis, faciei, oculorum, linguæ, aggeratio humorum, canalium diductio atque distentio, vicinorum constipatio & nervorum compressio, ex quibus omnibus numero fere infinita mala, ut capitis dolor a) gravatus, tendens, puniens, vertigines, deliria b), carus, coma vigil & somnolentum, cataphora, lipothymia c), lipopsychia, syncope, asphyxia, incitatius scaturiunt.

- a) HIPPOCRATES de Morb. mulier. Lib. I. Seſt. LXXIX. LXXX.
- b) MAURICEAU T. I. p. 420. Aphor. CCLXIV. LEVRET l. c.
§ 867.
- c) MAURICEAU T. II. Obj. CCXCIX. DIV. DLI.

S. XXXV.

Extremitates etiam inferiores in hoc malo male se non raro habent. Nervi ex foraminibus ossis sacri anterioribus prodeentes, quum matrici proprius adjacentes nonnihil decurrent, ab hac distenta paululum comprimuntur, unde fluidi nervei ad inferiora adfluxus intercipiuntur, & torpor harum partium

pártium necessario resultat. Idem ille uterus venas iliaca juxta prætergredientes, si expansus est, coarctat, refluxentes ab artibus inferioribus sanguinis undas moratur, vene ergo diffunduntur, moles totius augetur, & pedes intumescunt a). Ex compressione arteriarum iliaca atque nervorum ossis sacri anteriorum, quum saltim ad integratatem museuli inflatus sanguinis & spirituum necessarius sit, actionem musculorum, pedes moventur, iedi, ipsumque incessum depravari, immo plane, si etiam reliquæ conditiones illum permitterent, aboleri, comprehensu est facillimum. Tandem ex arteriarum & venarum iliaca compressione, ut & ex motu humorum ad inferiora minori & redditu ab iisdem magis præpedito exoritur adfrictus globulorum imminutus, unde calor in his partibus mitissimus, immo extremorum frigus. Hoc ipsum gelu interdum eousque increscit, ut omnibus particulis igneis in motu constitutis abactis, vel ad quietem perductis partes ex vi elastica ipsis insita coeant, adunentur, poros & interstitia in angustiorem orbem contrahant, fluida in illis detenta urgeant, expellant, unde sudor frigidus mortis particularis non raro letale signum.

a) MAURICEAU. T. I. Lib. I. Cap. XVI. p. 144.

§. XXXVI.

Quæ & caterva malorum maxime a febri augetur, quæ ut omnis inflammationis individua comes a), ita & hysteridem e vestigio sequitur. Si inquiris in rationes, ob quas inflammationem febri stipatam videas, invenies plurium mathematicos & mechanicos legibus nimis inherentium Medicorum luxuriantes opiniones. Aperiuntur enim illis hic carceres, ubi ingenio ipsorum plerumque in detegendis naturæ verioribus legibus infelicissimo, datur ad excurrendum spatum amplissimum. Sunt, & eorum non pauci, qui sibi persuadent, machinam quamcunque hydraulicam & corpus humanum tam parum a se invicem abhorrende, ut omnes conclusiones, ex

experimentis saepe crudioribus deductæ, ad illud sine ulla circumscriptione adipicari possint. Licet non negemus, si sobrie hæc fierent, castæ theoriae medicæ multum, immo non raro clarissimum lumen largiri prudentem naturæ legum usum. Saniores ex illis perhibent, quod, quum velocitates in canaliculis communicantibus sint reciproce uti eorum capacitates, si in uno canalium communicantium, qui totam constituant compagem, contingeret obstrucio, fluidum, alias canalem obstruēt transfluens, urgeatur in vicinos, adeoque in his adhuc apertis non possit non celeritas crescere; perniciitate autem humorum adaucta, adesse signum pathognomonicum febris in corpore non delitescentis, sed jam erumpentis. Obturatis igitur canalibus, sanguine suo matricem irrigantibus, cooritur transitus per vasa in reliquis corporis partibus adhuc potentia major & velocior, hinc febris inflammatur. Quidquid vero horum sit, ob ingenii vires imbecilliores his non diutius inhæremus, sed experientia virorum, tum in aliis scientiis exercitatorum, tum in arte salutari versatorum, suffulti scimus, inflammationem genitalium b), ut omnium aliarum partium, semper comitari febribus.

a) VAN SWIETEN *Commentar. ad H. Baerhaave Aphorism.* 120. § 371.

b) HIPPOCRATES *de Morb. Mulier.* Lib. I. Sec. LXXXIX. Epidem. Lib. I. Sec. III. Aegr. IV. MAURICEAU T. I. Lib. III. Cap. XI. p. 420. T. II. Obj. CLXXII. CCXCIV. CCCLXIX. DIV. DLI. D XCIV. DE LA MOTTE Lib. V. Cap. VII. p. 629. § Objero. CCCCXIV. CCCCCXV. LIBUTAUD *Precis* p. 658 LEVRET l. c. §. 867.

§. XXXVII.

Febris hæc plerumque non sine horripilatione vel & horrore orta a), absolvit suum cursum pro gradu inflammatio- nis modo majori, modo minori vehementia atque rapiditate. Et hæc febris novam largitur scaturiginem, quæ tot ac tanta symptomata eructat, ut sub his quasi sepultæ miserrime ægrotantes

tantes ingemiscant. Pulsus, ut in omni febre citior, vel saltim mutatus, etiam in omni inflammatione, quæ sit in ramis arteriæ magnæ, propter vividiorem irritationem & inde exsurgentem renisum solidorum & actionem cordis vehementiorem, durus magis evadit. Qua de causa pulsus durus effectus hysteritidis jure meritoque habetur.

a) LIEUTAUD *Precis p. 658. HIPPOCRATES 4. c.*

§. XXXVIII.

Quo major vasorum in corpore humano renisus, & quo vivacior vis cordis propellentis, eo major erit attritus globularum, sanguinem constituentium, hinc eo intensior existit caloris gradus. Minime itaque mirum est, calorem eo maiorem esse, quo magis febris urget, quum hic morbus non solum resistentiam circa vasorum extremitates a), quam non nulli a spasmō peripherico derivant, sed & irritationem cordis inde incitatam vividiorem sisstat. Nequaquam igitur in acrimonia alcalica partes inflammabiles resolvente ita, ut ex hac partium oleofarum, pinguium resolutione acrior prove-niat calor, praesidium & auxilium queramus necesse est; imprimis quum non contemnendas dubitandi rationes contra hanc hypothesin moveat HALLERUS b), licet non inficias eam, in febris vehementioris progressu acrimoniam nasci posse talem, qua humores magis ad alcalescentiam vergunt.

a) VAN SWIETEN *l. c. T. II. §. 573. p. 16. seq. §. 577. p. 23. seq.*

b) *Elem. physiolog. T. II. Lib. VI. Sect. III. §. 8. & 9. p. 290. seq.*

XXXIX.

Ipsum autem calorem in febri crescentem & febrim ipsam potentius intendere, ex eo jam evidens fit, quod calor ipse inter non mitia irritantia, quibus cor ad sui contractionem vividius stimulatur a), referri mereatur. Hunc igitur ob calorem ingravescerem & inde circuitum humorum acceleratum sequuntur secretiones & excretiones serofæ copio-

copiosiores, adeo, ut diathesis phlogistica ob decrementem partium aquosarum copiam firme augescat, & siccitas & immeabilitas massæ sanguineæ tandem inducatur non mediocris. Cessat itaque salivæ secretio, cessat secretio muci oris & fau-
cium, cessat exhalatio in viis & caveis cibariis, œsophago scilicet, ventriculo & intestinis contingens. Exinde vero lingua siccata, arida, partibus crassioribus exsiccatis incrassata, sitim ingentem, vocem raucam b), alvum maxime adstringit, duram, sequi sua sponte patet. Dicta immeabilitas etiam in causa est, eur transitus sanguinis per vasa cerebri magis sit præpeditus, hinc elaboratio & secretio fluidi nervi parcius, ut & distributio spirituum in organis vitalibus magis restricta, quæ sensuum obnubilationes c), actionum torporem, multaque pessima symptomata efficit. Quum interdum etiam ob pauperiem elementi diluentis acritudo humorum & infarctus in vasis subtilioribus cerebri perpetua incrementa capiat, nervi magis concitantur, & spiritus, licet in se non abundant, ex irritatione nimia impetuosis & inæqualiter moventur, ac in organa sensuum & motus protruduntur, unde deliria, vertigines, aurium fusurri, jactaciones corporis, spasmī, convulsiones & ipsa tandem gelida mors. Sanguis magis spissus, ad pulmones delatus, obturando sibi viam præcludit, anxieties præcordiales, oppletionesque pectoris d) inducit.

a) HALLER. *ELEM. PHYSIOL.* T. I. Lib. IV. Sect. V. §. 4. p. 467.
b) LIEUTAUD. *Precis* p. 658.

c) HIPPOCRATES de Morb. mulier. Lib. I. Sect. LXXVIII.

d) DE LA MOTTE l.c. Lib. V. Cap. VII. p. 629. MAURICEAU l.c. T. I. p. 420. T. II. Obs. DIV. DLI. DXCIV.

XL.

Multoties autem hunc febi etiam supervenire solent exanthemata. Sunt Viri, iisque egregie docti, & quod in hac re maxime notandum, felicissimi Medici medentes a), qui docent & exemplis confirmant, exanthemata febi acciden-
tia

tia dependere ab errore aut Medici, aut ægroti, aut adstantium. Quidquid jam horum sit, nobis perinde erit. Experiencia demonstrat, febrim huic inflammationi junctam sæpe esse exanthematicam. Adpellamus autem febrim exanthematicam, in qua efflorescentiae variae figuræ, magnitudinis, & varii coloris in habitu cutaneo prorumpunt. Eveniunt, si materia acris viscida, ex parte inflammativa, resorpta, vel & in massa sanguinea in statu præternaturali alio evoluta, sed non explete cocta, per speciem metaftaseos ad cutim deponitur, ibique maculas & pustulas varias format. Quum hic motus versus cutim contingat, illum huc fieri ob vim derivationis sive resistentiam diminutam *b)* evidens est. Quam ob rem facilius etiam erumpunt, si ægrotantes, stragulis quasi obruti atque sepulti, copiosissimis insudationibus cutim ita emolliunt, ut ob resistentiam minorem materia ex humeribus adlecta huc divertatur.

a) *Illiustr. A. DE HAEN ratio medendi in Nosocomio pratico Vindobonæ 1759. T. I. Cap. III. p. 32.*

b) *HALLER. Elementa Physiol. T. II. Lib. VI. Sec. IV. §. 7. p. 328.*

§. XL.

Quæ sunt præcipua hysteritidis symptomata, omnia enim enumerare, vix ac ne vix quidem possumus, quæ tam tempore invasionis, quam incrementi atque status, quamvis diversis temporibus diversa atrocitate, observantur. Diagnosīs itaque hujus mali facillimo negotio habetur, si generatim effectus recensiti (§. XXIII. ad XL.) conferuntur cum causis remotis (§. III. ad. XXII.) dictis. Speciatim vero in diagnosi formanda attendendum primo ad dolorem, quodsi enim hæc pars, oculis non patens, dolore corripitur, & dolor pectoris similis est, de inflammatione suspicio oritur; deinde ad calorem, si enim hunc dolorem in regione pubis punctorum ardor comitatur internus, inflammatio fere non in duibium venit; porro ad pulsum, qui si est incitatus & durus,

de

de febre inflammatoria certi sumus; tandem ad sanguinem, qui si etiam circa morbi initium e vena pertusa exceptus cruxa inflammatoria nondum tegatur, spissus tamen & nigricantior observatur, in incremento vero & statu hæc cruxa plerumque deprehenditur, evanescit autem interdum & præser-tim eo tempore, quo inflamatio in gangrenam & sphacelum vergit, quippe quo tempore resolutio humorum putredinosa concrementum tale impedit. Ex atrocitate, numero, gradu symptomatum & reliquis circumstantiis facilius patescit, num morbus sit in initio, aut in incremento, aut in statu, aut in decremento. Jam ratione eventus pauca ut in medium proferamus & his paululum inhæreamus, consultum esse du-cimus.

§. XLII.

Simulac hic matricis morbus femel accensus est, non diu in eodem statu persistit, sed protinus novas scenas pandere pergit. Exoptatissimo sane cum eventu semper hysteritis finitur, si sanguis stagnans ex vasis obturatis protritus transit in venas, vel repercussus motu retrogrado reddit in canales arteriosos capaciores, sic stasis plane tollitur & humores nondum mutati circuitum continuant. Hac ratione obtinetur finis maxime salubris, scilicet discussio. Si vero obstruc-tio perseverat, variae iterum mutationes evenire possunt. Sanguis enim stagnans vel attenuatur & in minores globulos dividitur illæsis vasis; vel una cum vasis, quibus infarctum inhæret, resolvitur, vel cum canalibus, quibus continetur, concrescit. Prius si evenire observamus, inflamatio finitur per resolutionem. Ultimum si contingit, oritur leirhus. Si vero materia obstruens una cum vasis resolvitur, hæc attenuatio perficitur ab humoribus blandis, sanis adhuc, sensim sensimque adfluentibus, quibus sanguis stagnans una cum cana-libus abruptis in pùs mutantur; vel humores stagnantes & canales hos continentis resolvuntur ab humoribus acribus, majori rapiditate hanc destructionem ita perficientibus, ut omnis

omnis circulatio & vita in hac parte aboleatur. Si prius obtinet, suppuratio; si vero posterius, gangræna & sphacelus oriuntur. Qui sunt quinque modi generales, quibus hoc malum finitur.

§. XLIII.

Discussio igitur involvit talem redditum sanguinis stagnantis ad reliquam humorum massam, quo vasa uteri manent integra, globuli parum vel plane non mutantur, sed postquam circuitum iterum subierunt ad actiones suas continuandas adhuc apti existunt. Indicia discussionis futuræ sunt

- 1.) Si humores puerperæ fani inveniuntur, & nulla mixtione laborant morbos, alias enim stagnantes remora magis inepti fiunt ad miscelam cum sanguine circumeunte.
- 2) Si motus humorum non adeo vehemens deprehenditur, cum violentia enim sanguis in vasa infarctus magis etiam coactus est & vix iterum circuitum subit, nisi antea mutetur. Dijudicatur vero vehementia motus humorum ex violentia febris. Quo mitior itaque febris, eo majorem spem de felice discussione concipere possumus.
- 3) Si fibræ flexiles sunt, adeoque vasa vel magis cedere, ut sanguis impactus ad venas transfeat, vel sese constringere possint, ut in majores ramos retropellatur.
- 4) Si sanguis stagnans non hæret in vasis subtilioribus, hæc enim admodum difficulter eosque distenduntur, ut transmittendorum globulorum sint capacia. Hinc materia impæta hæreat in arteriis sanguiferis, vel circa initia arteriarum non rubrarum, sic enim aut transit motu directo in venas rubras, aut motu retrogrado majores ramos iterum legit.
- 5) Si inflammatio adhuc recens, & ultra triduum nondum duravit, quo diutius enim humor hæret, eo magis a continuis undarum sequentium arietationibus compingitur, hinc ad novum circuitum plane ineptus evadit.

E

§. XLIV.

§. XLIV.

Inflammationis resolutio ponit, ut materia stagnans attenuata, & in novas moleculas resoluta in valis iterum circuum cum reliquis humoribus subeat, ad colla ducatur, atque ut heterogenea & noxia eliminetur; deinde, ut canales, in quibus humores compulsi stagnabant, integri maneant, adeoque nihil de substantia uteri pereat. Signa ergo resolutionis futuræ sunt

- 1) Si humores puerperæ fani vel saltim nulla mixtione nimis morbosa laborant, alias enim materiem stagnantem in partes minores divisam minime diluere, & ad novum circumiterum aptam reddere possunt.
- 2) Si fluidorum motus nec nimis auctus, nec nimis debilis. Violentius enim acti humores sero suo privantur, hinc ad diluendam materiam impactam sunt inhabiles. Circulatio vero languidior attenuandis seu resolvendis moleculis stagnantibus impar existit. Hinc in febri summa, vel nimis sufflaminata nulla spes resolutionis benignæ relinquitur.
- 3) Si pars inflammata non adeo lata est, alias reliqui humores non undique ad omnes & singulos canales confluere, & sufficienti copia diluere possunt. Cum probabilitate vero amplitudinem loci inflammati hariolamur plerumque ex febris conditione ac symptomatibus levioribus.
- 4) Si fibræ totius corporis & speciatim uteri vasorum non nimia stricatura laborant, sed facilis globulis resolutis cedunt, & transitum faciliorem ad reliqua fluida circumacta concedunt.
- 5) Si inflammatio adhuc recens & evacuatio quedam aucta post signa coctionis observatur. Resolutio enim salutaris, si evenit, illam conjunctam esse videmus vel cum evacuatione quadam sensibili, vel sine expulsione manifesta contingit, sed sola transpiratione insensibili paulum aucta ex corpore se subducit atque secedit materia stagnans resoluta. Si morbus solvit priori modo, pro variis subjecti conditionibus

tionibus varia hoc fit ratione. In aliis enim habitum cutaneum petit, ibique infusatione universali aut particulari expellitur, vel in efflorescentias erumpit; in aliis vias urinarias legit & urinam hypostaticam reddit; in aliis prorumpunt dejectiores alviæ, ita tamen, ut diarrhoea superveniens sit feculenta magis, vel magis ferosa, alba, lactescens quasi eveniat.

§. XLV.

Suppuratio involvit primo vasorum minimorum minus resistentium, quibus materia stagnans inhærebat, rupturam, quam quoad maximam partem sanguis a tergo adlidens nouisimul atque semel sed sensim sensimque efficit; deinde effusionem sanguinis sequentis in telam cellulosam vasa ambientem, atque separationem canalium ruptorum a portionibus adhuc integris; porro mutationem frustulorum abruptorum una cum sanguine effuso & stagnante in pus. Præstat hanc resolutionem ipsa vis viva corporis, multum tamen ad illam confert ipse sanguis, quippe qui in cellulosam effusus acrimoniam brevi contrahit, abit in liquamen acre tenue ipsaque vasa in simile fluidum attenuat, quod fluidum tenue, acre, pinguedine circumfuso vel humoribus blandis adfluentibus mixtum, obtunditur ita, ut proveniat fluidum dulce, flavescentis, subspissum, inodorum, insipidum, æquale, lœve, quod nomine puris insignitur. Tandem pus in matricis substantia generatum viam sibi pandit, hinc effunditur, vel in cavum abdominis, & ibi sui eductionem expectat; vel prorumpit in cavum uteri, & per vias naturales ex corpore emanat. Signa igitur, quibus scire licet, suppurationem laudabilem eventaram esse, traduntur sequentia:

- 1) Si hysteritis tres vel quatuor dies duraverit, nullaque discussionis aut resolutionis indicia adparuerint, sed symptoma ratione vehementiæ, & ratione numeri, persistunt.
- 2) Si sanguis alias fanus & nulla insigni qualitate morbofa inquinatus deprehenditur, humores enim adfluentes boni

- bonum tantum pus generare possunt. Hinc in corpore ca-
cochymico potius resolutionem destructoriam, quam sup-
purationem evenire videmus.
- 3) Si motus humorum intensus quidem observatur atque ve-
hemens non autem nimis intensus, vel vehementissimus,
alias canales non pedentim, sed simul crepant, & acri-
monia summa orta gangrænam efficit. Noscitur vero, uti
jam monuimus, humorum motus & dijudicatur tutissime
ex vigore febris persistentis. Quæ igitur neque sit nimis
remissa & languida, neque nimis acerbata. Suppuratio
enim, ut actio corporis vivi requirit febrem, sed nimis
intensam non fert.
- 4) Si inflammatio est sanguinea, vel saltim ferosa & nonnullis
globulis rubicundis permixta, globuli enim rubicundi ple-
rumque in pus mutantur, ferosi & lymphatici vero rarissi-
me, vel plane non.
- 5) Si inflammatio notabilis majorem occupat plagam, & san-
guis in vasis ferosis vel lymphaticis intrusus hæret ita, ut
de loco cedere nesciat. Hæc enim vix tantam admittunt
dilatationem, ut globuli rubicundi adhuc transfire possint,
hinc attenuentur, vel ipsa vasa disruptionem experiantur,
necessæ est.

§. XLVI.

Gangræna, ut quartus modus eventus hysteritidis, ab-
solvitur ruptura canalium non sensim sed velociter peracta,
hinc circuitus in utero & humorum adfluxus ad matricem,
quantum obstructio per vasa adhuc aperta permittebat, pro-
tinus minuitur, solida cum fluidis simul liquefunt, & ob
humores adfusos aciores, vel mora tabefactos in putredinem
abeunt. Quemadmodum igitur in suppuratione vasa sensim
sensimque scinduntur, ita ut pauciori copia sanguis, a postica
parte adluens, post secessionem effluat: sic e contrario in gan-
græna vasa, in quibus sanguis stagnat, a reliquis magna vi
abrumpuntur, abrupta in cellulofam quasi protruduntur, &
extre-

extremitates adhuc apertæ, & non illico contractæ, multu[m] sanguinem in cellulosa[m] plorant, sic materia acris corrum-pens & corrupta perpetuo augentur, partes vicinæ corrodun-tur, exeduntur, in tabum distabescunt, circulatio per par-tem prorsus aboletur, unde tandem mors partis insequitur, qui sphacelus adpellatur. Imminere itaque gangrænam scimus

- 1) Ex defectu signorum discussionis (§. XLIII.), resolutionis (§. XLIV.), vel suppurationis (§. XLV.) in malo jam ultra confuetum terminum protracto.
- 2) Ex gradu inflammationis summo, adeoque ex dolore, ardore, febri maxime intensa, hæc enim blandam humo-rum indolem destruens, & disruptionem vasorum subita-nam accelerans, genesis boni puris omnino impedit.
- 3) Ex perversa humorum mixtione & indole, in corpore enim euchymico suppurationem tantum, quum in caco-chymico, cuius humores acritate infecti sunt, nil nisi de-structionem expectare licet.
- 4) Ex habitu corporis sicco, stricto sive fibra rigida & elasti-ca, hæc enim quum extensioni renitatur, ampliationem canarium pro transitu materie impactæ non admittit, & discussionis obtinendæ spem frustratur.

Præsentem autem esse sive jam siderari partem aliquam gangræna, cognoscimus in partibus externis ex colore mu-tato, phlyctenis sive vesiculis sero acri turgidis, quod cor-rodendo epidermidem à cute separat, & in bullulam elevat. Quum vero matrix, ut pars interna, oculis non pateat, de aliis signis solliciti simus, oportet. Scilicet si sympto-mata remittunt, causa tamen mali non correcta, sed per-sistente, id quod adparet ex signis cruditatis, præfertim vero viribus, quæ post discussionem increscunt, post gan-grænam perpetuo decrescent, & tandem ex frigore extre-morum subito superveniente, quum tamen interna summo calore ferveant. Eo certiores esse possumus, si ex relatio-ne adstantium, quod tamen oppido rarum, comperimus,

perversa remedia, s^epe & inscio Medico, esse adhibita, qualia habentur nimis refrigerantia, repellentia, coagulanta, adstringentia, ut & opiate.

Natam autem esse gangrænam certo conjecturamus, si urgente antea calore summo desubito ægrotam horror, mox majori mox minori gradu invadit, qui maxime cum tremore & gelu extremitatum, subitaneaque doloris & ardoris gravioris cessatione conjunctus observatur. Destructa vero ob corruptionem summe austam & late proserpentem matrice vel matricis parte, & circulatione humorum in hoc organo plane suppressa, sequitur status, quem Sphacelum vocant, qui nisi corruptio cohibetur, quod in internis rarius contingit, totam matricis compagem exedens consumit.

§. XLVII.

Ultimus denique Hysteritidis eventus est Scirrus. Requirit autem Scirri generatio obstructionis continuationem. Materia enim impæcta humido suo quoad maximam partem ob continuam arteriarum arietationem orbata, magis cogitur, quasi exsiccatur, arcte cum parietibus canalium continentium cohæret, & concrescendo formant tumorem durum. Qui tumor durus, quum nervos vicinos comprimat, & tandem penitus obliteret, vel saltim spirituum motum in illis debeat, omni sensu tactus privatur, & fit tumor durus, indolens. Sales in materia stagnante delitescentes, quia fluidoribus particulis massa privatur, non amplius soluti, omnem activitatem irretiti perdunt, hinc nec corrodendo partem destruere valent, licet quavis occasione data iterum soluti agere incipient, gravissimamque putredinem inducendo, cancri dirissimi existunt causa manifesta. Præprimis autem timendus est Scirrus in parte glandulosa, quæ serosis & lymphaticis vasis copiosius instructa, sero vel lympha tantum irrigatur, hinc in his ob vasorum lumen summe exiguum, & impetum

a tergo

a tergo in angustioribus canalibus fere obliteratum , rarius discussio contingit, sed coalescunt vasa glandulæ cum materia infarcta, & Scirrus oritur. Posse tamen & alias partes quin ipsam matricem scirro infestari , modo illorum textura constet ex vasis subtilioribus, immo subtilissimis, experientia testatur a). Hariolum vero riter inflammationem in Scirrum transisse, si neque discussionis, neque resolutionis, neque suppurationis, neque gangrenæ aut sphaceli signa nobis innotuerunt. Symptomata febrilia tunc remittunt, sensus autem gravitatis in regione pubis, aliaque ex compressione a tumore oriunda incommoda remanent.

a) HIPPOCRATES *de Mulier. morb. Lib. II. Sect. XXXVIII.*
MAURICEAU *T. I. L. III. Cap. XI. & Cap. XII.*

§. XLVIII.

Ad prognosin nunc devolvimur. Generatim notamus, malum hoc semper esse periculo plenum, hinc etiam prædictio semper sit dubia. Speciatim variat hæc ratione conditionum & symptomatum, quæ malum hoc concomitantur. Ratio itaque habenda est

- 1) causæ remotæ, quæ si cognosci & removeri facilius potest, malum etiam mitius declaremus oportet.
- 2) Magnitudinis loci inflammati, in ampla enim inflammatio discusso & resolutio non tam facile obtinetur, sed potius suppuratio vel gangræna timendæ sunt. Quodsi ergo non uterus tantum, sed & partes ipsi proximiores, quin adeo & externæ simul adfectæ essent, minimam vel plane nullam spem de salute ægrotæ concipere & alere licet.
- 3) Incrementi symptomatum, quibus stipatur Hysteritis, quæ quo violentiora existunt, & quo velocius increscent, eo magis semper de salutari eventu est desperandum; & contra, quo mitiora invadunt & persistunt, & quo tardiora augescunt, eo minus interdum timendum est. Quas ob

ob causas in febri vehementissima minime de discussione
obtinenda cogitandum, quin & suppuration non nisi ægre
obtinetur, sed potius gangræna est expectanda.

- 4) Ægrotæ ipsius & quidem primo ratione virium, quæ quo
magis adhuc vigent, eo magis; e contrario, quo magis
corpus viribus jam exhaustum a morbo vel partu nimis la-
borioso prægresso, eo minus eventum salutarem præstola-
mur; deinde ratione fibrarum texturæ, quo laxior enim
solidorum compages, eo facilius, si reliqua conspirant;
quo strictrior, eo difficilius contingit discussio; tandem ra-
tione craseos humorum, quo minus enim hæc a naturali
recedit, & quo blandiores existunt humores, eo majorem
spem de eventu salutari habere licet; quo deterior autem
fluidorum conditio, eo oxyus gangræna & sphacelus super-
veniunt.

§. XLIX.

Quum ob partis, quam hysteritis occupat, nobilitatem,
morbis hic nunquam periculo careat, omni contentione ad
id incumbat Medicus necesse est, ut eam, dum imminet,
avertat, semel enim nata & obfirmata rarissime eventu lau-
dabili & exoptato finitur, sed plerumque scenam tristissimam,
licet non semper extemplo, ludit. Quum igitur hysteritis
non solum ponat sanguinem in vasis matricis stagnantem,
sed etiam impetum humorum a tergo aduentum majorem,
sequitur, ut cura radicalis obtineatur, imminuendo impetum
humorum in locum obstructum majori vi irruentium, & mo-
vendo e loco obstruēto materiem infarctam, hac enim ra-
tione discussio vel resolutio omnino evenit. Sanguis impin-
gens in materiam stagnantem eam semper contra summas an-
gustias urget, hinc obstruēto ab humoribus majori adiſu
impingentibus semper fit gravior. Accedit, quod a fængue
copiosius & violentius huc regurgitante & illidente nova va-
forum lateralium evenire possit extensio & ex errore loci ul-
terior

terior obstructio: Ex hac ratione omni studio vis sanguinis a tergo aduentis est infringenda. Sed & sanguis infarctus de loco movendus est. Ad quod impetrandum laborandum est, ut humor adfluat attenuans, resolvens, diluens impactum, quo aptum evadat ad iter suum in venas continuandum. Quum vero humores tantum a parte postica adluere possint sanguinem stagnantem, videmus medicamentis resolventibus, attenuantibus, diluentibus juvari, neutiquam vero absolvi posse curationem. Præterea vasa sunt laxanda, ut transitum concedant in venas; vel stringenda, ut materiam impactam in truncos majores repercutiant. Sanguini retrogradienti resistit unda sequens, præsertim si impetuosis adluit, ideo vis cordis quantocytus minuenda, ut sanguis recedens impetum undæ novæ advenientis vincere possit. Sic obtinetur discussio. Sanguis vasis infarctus & stagnans corruptitur, hac corruptione attenuatur, ergo se ipsum aptat ad continuandum iter suum in venas. Transit igitur in venas, sed ut corruptum quid, & humoribus sanis particulas heterogeneas miscet, quæ per cola depuratoria dein ex corpore eliminantur. En resolutionem!

S. L.

Omnibus his bene pensatis, adparet, optimum esse, præverte hoc malum a), antequam radices altius agens pertinacius resistit. Averruncatur autem hysteritis, si statim post partum fluxum lochiorum non solum omni, qua fieri potest, opera promoveamus; sed etiam, si sistitur aut præternaturaliter imminuitur, follicite & quantocytus restituamus. Cura igitur præservatoria, ut dicunt, simulac fluxum lochialem imminutum, aut plane abolitum observamus, sequentibus præsertim ex mente practicorum absolvitur momentis.

1) Vena illoco pertundatur in brachio, simul ut lochia immi-nuntur, pulsus elevatur, & tumor durus, rotundus, cum dolore & ardore in regione hypogastrica sentitur. Hoc

F

enim

- enim remedio, pro varietate circumstantiarum saepius repetendo, vis impingens in locum obstructum optime minuitur. Ad lisus enim sanguinis a tergo aduentis est in ratione magnitudinis circulationis. Circulatio sequitur magnitudinem virium cordis moventis, quae porro congruit stimulo, quo cor vellicatur. Detracta igitur sanguinis venosi copia stimulus cordis existit imminutus, hinc & impetus in vasorum obstructa refrenatur. Venae incisio quoque canales sistit magis depletos, hinc & resistentia sanguini impacto & jam in truncos majores recedenti data imminuitur, hinc discussio acceleratur. Alii venae pertussione in pede laudant. Quum vero effectus revulsionis & derivationis nondum extra omnem dubitationis aleam positi sint, nos observamus tantum venæfectionem in brachio præferri a Medicis in arte salutari facienda felicissimis. MAURICEAU b) primus à consuetudine omnium sui temporis Medicorum nobili audacia, exoptatissimo tamen cum successu, idquod omnes illum hac in re sequentes suo consensu confirmant, recessit; vasis vero, venæfectione repetita depletis, suadet sanguinis subtractionem in pede.
- 2) Regimen sit leniter diaphoreticum, solis infusis blande diaphoreticis, diluentibus obtinendum c). Infusatio enim privaret corpus partibus subtilioribus & crassiores remanentes valide cogeret, hinc malum potius augeret.
 - 3) Studeat puerpera quieti corporis & animi, ne motus humorum jam satis exacerbatus amplius incitetur, & hac ratione fluida stagnantia magis in canales obstructos infarcentur.
 - 4) Viribus, si deficiunt, prospiciatur vietu tenuissimo, potu, medicamentis genio mali contrariis, diaeta enim hic indicatur strictissima d).
 - 5) Regioni pubis hypogastricæ ut & interdum umbilicali adplicetur fotsus vel cataplasma anodinum emollientis, moderate calidum e), saepius renovandum, & ano injiciantur clysteres emollientes, oleosi, paregorici. 6)

- 6) Laudant ad fibras laxandas & spasmos sedandos oleum amygdalarum dulcium vel lini recentis cum spermate ceti, sirupo violarum, chamomillæ, dialtheæ cochleatim adfumtum.
- 7) Tandem ad spissitudinem sanguinis phlogisticam resolvendam prudens fiat usus nitri, kermes mineralis f), quin & camphoræ, saponaceorum, refrigerantium, temperantium,
- a) MAURICRAU *I. c. T. I.* p. 420 421. *T. II* *Obs. CCLXXXVII.*
 b) *I. c. T. I. Lib. III. Cap. X. & XI. & Aphor. CCLX. T. II. Observ. CCLIV. CCLXXXVII. CCXCIV. CCXCIX. CCC. CCCVII. CCCCLXXIII. LEVRRET *I. c. §. 865. 870. DE LA MOTTE *I. c. Obs. CCCCXIV.* contra hanc methodum dubia motet, ex male intellecta sententia MAURICRAU, quippe qui immunita humorum quantitate vel lochis iterum prodeuntibus demum laudat venæfectionem in pede *T. II. Obs. CCLXXXVII. CCCL.***
- c) MAURICRAU *T. II. Obs. CCXCIV. CCCCVII. DE LA MOTTE *I. c. Lib. V. Cap. VII.**
- d) LEVRRET *in Not. ad Mauricean Aphorismos CCLXIII.*
- e) HIPPOCRATES de morib. mulier. *Lib. I. Sect. LXXIX. MAURICRAU T. II. Obs. CCLXXXVII. CCCCLXXIII. DE LA MOTTE Obs. CCCCXIV. CCCCXV.*
- f) Celeberr. J. R. SPIELMANNI, *Viri ad vindicandas Chemiæ veritates genuinas felicissimo ingenio nati, & Praeceptoris nullo non observantia cultu prosequendi, Institut. Chemia. Argentor. 1763. Experim. XCVI. XCVII.*

§. LI.

Hactenus de hysteritide nascente. Sed si jam nata est, duplicum metu sibi præfigat Medicus medens, qua ut pereniat, ipsi vigilandum est, nimirum staseos præsentis discussio vel resolutio & symptomatum urgentium mitigatio. Stasis tollitur removendo illius causas. Quæ quum possint esse variae vix semper superabiles, etiam medendi methodum, qua huic malo obviam imus, diversissimam esse posse liquet.

F 2

nema

nem aut & resolutionem obtinendam maxime valere revellen-
tia atque attenuantia. Optimum & præstantissimum, ut in
omni inflammatione, sic etiam in hysteritide, revellens &
simil evacuans est venæ incisio, multoties non raro repeten-
da, quippe quæ & redditum in vasa majora insigniter pro-
movet, impetum in sanguinem stagnantem minuit, resor-
ptionem accelerat, ulterioreaque obstructionem arcet; licet
non negemus, & purgantia, præprimis antiphlogistica, ve-
ficatoria, pediluvia, atque relaxantia non raro præsentissima
esse remedia. Ad attenuantia hic proficia referuntur (§. L.)
dicta.

§. LII.

Si vero his omnibus in cassum adhibitis neque discussio,
neque resolutio obtineri potest, omnino puerpera de vita pe-
riclitatur, nisi suppuratio adhuc evenit benigna. Signa igitur
suppurationis imminentis, si adsunt, Medici est, suppurationem
accelerare, pus genitum educere, locum mundificare,
& consolidationem promovere. Nisi enim locum inflamma-
tum maturerit, malum perpetuo serpit & augescit. Pus diu-
tius relictum fit acre, & transit in ichorem vel faniem, par-
tes vicinas corrodit, vel in massam sanguineam resorptum
febi lentæ occasionem præbet. Hinc eductio puris fiat il-
lico.

Suppuratio quum requirat talem resolutionem canalium &
materie stagnantis, ut ex his resolutis, & pinguedine in cel-
ulis telæ hærente humoribusque blandis affluentibus mixtis,
exsurget pus bonæ indolis, patet maturantia in usum esse
vocanda. Obtinetur autem maturatio derivando humores
corporis sufficienti quantitate ad locum obstructum, & fo-
vendo eundem decenti calore. Priori indicationi satifacimus
restituendo humores bonos, si deficient, & adfluxum ad par-
tem augendo, id quod evenit, si loco obstructo resistentiam
mino-

minorem inducimus, & circulationem, si languet, inestamus. Hinc emollientia tam intus sumenda, quam extus applicanda in usum trahenda sunt; febris vero, si remissius decurreret, inflammada, ut arietatione arteriarum vicinarum adaucta vasa cum fluidis sensim resolvantur. Hoc scopo admoveantur regioni infimi ventris inprimis hypogastrice cataplasma ex emollientibus, maturantibus a), quin, si circumstantiae id permittunt, fiant injectiones emollientes, ope siphonis peculiaris figuræ (*Mutter-Sprütz*) dictæ. Sopor febri languenti discutitur ope stimulantium, calefacientium lenissimorum. Si vero febris nimis urget intensa, & inflammatio ex hac causa tendit in gangrenam, vis febris evacuantibus, refrigerantibus, temperantibus, diluentibus sufflamanda, ne acri nimis extricato subito eveniat vasorum obstrutorum destrucción. Optime hic se gerit divinus ille cortex Peruvianus, quippe quem egregie suppurationi succurrere experientia demonstravit. Calor sufficiens loco maturando conciliatur, dum illum perpetuo cataplasmatibus, emollientibus calidis foveamus, vel & epithemata, cataplasma emollientia lenissimis aromatibus acuimus.

Pus usu dictorum genitum protinus educendum est. Quo igitur in cavum uteri prorumpat, adeoque via brevissima ex corpore eliminetur materia purulenta, quum cultro accessus non pateat, omni modo illuc determinanda est Egregios hic præstant effectus injectiones emollientes tepidae in cavum uteri ope dicti siphonis factæ. Resistentia enim in superficie uteri interna imminuta pus illuc determinari & erumpere experientia b) & ratio probant. Rupto tandem abscessu, puris emanantis completa effusio procuranda, locus affectus abstergendus est, ut mundificatione peracta consolidatio agmen claudat. Si itaque pus ex genitalibus effluere videmus, signum hoc est certissimum, materiam sibi viam in cavitatem uteri pandisse. Continuandæ igitur sunt injectiones, quæ jam ex abstergentibus parandæ c), quibus & balsamica & terebinthinata subjungenda

da sunt, ut non solum impurum auferatur, educatur, sed & ulteriori destructioni & putredini obex ponatur. Si tandem sinistro fato abscessus in cavum abdominis prorumperet, ejus eductio novo vulnere, parietibus abdominis infligendo, tentanda, de quo tamen chirurgia plura exponit. Niſi natura ſibi ipſa non raro ſufficiens optimum hic absolvit negotium, ars parum proderit. Interca dum hæc ſunt & humoribus reliquis proſpiciendum eſt, ne a pure reſorptio letali labo inquinentur. Munienda ſunt contra putredinem condendo illos acidis *d*), obtundentibus, temperantibus, diluentibus, quin & interdum evacuantibus.

- a) MAURICRAU L.c. T. II Obj. CCXCIX. LEVRET L.c. §. 991.
DE LA MOTTE Obj. CCCCIX. CCCCX. CCCCXIV.*
- b) LEVRET L.c. §. 992. MAURICEAU T. I. L.c. p. 422.*
- c) MAURICEAU T. I. L.c.*
- d) LEVRET L.c. §. 989. & 990.*

§. LIII.

Raro vero licet puerperis tam felicibus eſſe & suppuratione peracta ad integrum redire sanitatem. Fac enim ut maturatio optatis ex aſſe respondeat, mundificatio tamen, hinc & consolidatio multum negotii faceſſent. Quum enim locus nec oculis patet, nec manuum opem admittit: ſinuosa ulcera vix evitantur, ut & reſorptio in humores, phthisiſi tandem uterinam inducens *a*), ægre impeditur. Proſtant tamen exempla, in quibus ſuppuratio optimo cum eventu ſucceſſit, hinc omnia tentanda ſunt, & licet malum in desperatis habendum, tamen non omnis ſpes abſiendi eſt. Augent omnino periculum lerna ſympotatum graviflormorum, quæ undique feminae iſfidias tendunt. Corpus enim jam a partu, jam a febri inflammatoria exhaustum vix maturandis crudis, reſtituendis deſtructis & consolidandis ſolutis par ha- betur.

- a) BŒRHAAVE Aphorif. §. 1214.*

§. LIV.

§. LIV.

Anceps omnino ac cum præsente periculo conjunctus est eventus hysteritidis, quem jam vidimus, sed res in maximo vertitur discrimine, si indicia gangrænae imminentis certa adsunt, facillime enim causa cadit natura alias sat potens. Si igitur ex (§. XLVII.) dictis scimus, gangrænam instare, tres restant indicationes, scilicet resolutio adhuc tentanda (in primis si Medicus tardius acceperit), aut suppuratione acceleranda, aut extirpatione instituenda est. Ultimum plane locum habere nequit, ergo prioribus studendum est. Resolutionem molimur, restituendo & conservando ante omnia vires, obicem ponendo putredini præsenti, & inhibendo materiæ putridæ in massam sanguineam resorptionem. Primum obtinemus victu blando, diluente, facilioris digestionis & indoli mali contrario. Hinc refrigerantia, acidula ex fructibus horràis, vegetabilibus mollissimis & pane parata optima hic habentur analeptica. Fomes putredinis destruitur reducendo humores stagnantes & nondum corruptos in circulum, ne mora depraventur. Conducunt ad hunc finem diluentia, refrigerantia, immutantia. Maxime autem in inhibenda putredine & gangræna se præstat cortex polychrestus Peruvianus dictus, quippe qui & hic ut præstantissimum specificum agere testimonia virorum celeberrimorum probant. Resorptio materiæ corruptæ separatione vivi a mortuo præpeditur, quod in externis scarificatio perficit, in internis vero totum negotium naturæ providæ committendum est. Condiendo itaque humores contra putredinem a labe illos intactos conservare licet. Resolutione incassum tentata & pergentibus symptomatibus gangrænam indigitantibus suppuratione methodo antea tradita omni ratione promonenda remanet. Si & hic opera, quam navavimus, perit, malumque transit in sphacelum, tum actum est de eventu salutari. Explicemus autem oportet, quo sensu huic organo tribuamus sphacelum, & quomo-

d o

do differat a gangræna. Alii ponunt discrimen in subjecto, cui corruptio inhæret, quam in paniculo adiposo serpentem, gangrænæ, si autem musculos ad ossa usque penetrat, sphaceli nomine insigniunt. Alii ratione gradus discrimen constitendum esse perhibent, ita ut gangræna sit summus inflammationis apex, in qua tamen circuitus humorum aliquis adhuc persistat, si vero hic plane una cum sensu esset sublatus, sphacelum adesse dicunt. Hinc gangræna esset mors partis incipiens; sphacelus mors partis expleta. Et ex hoc patet etiam discrimen tertium, quod nonnulli constituant, nimirum gangrænam & sphacelum differre ut actum & statum. Nobis jam gangræna matricis idem est ac summa inflammatio, ubi omnia ad necrosin vergunt, & circulus humorum ut & sensus ob destructionem compagis perpetuo decrescendo imminuuntur; si vero omnis motus humorum & sensus tandem aboliti fistuntur, & pars plane emortua est, tunc demum sphacelum vocamus, qui nullam aliam medelam nisi extirpationem admittit. Id quod in hac parte salva sanitate fieri non posse ulteriori probatione non eget.

§. LV.

Tandem scirrhos nos ad exitum totius historie Hysteritidis perducit. Duobus tantum modis curam admittit radicalem scirrhos, nimirum extirpando aut resolvendo. Prius locum plane habere nequit. Posterius autem tentandum est. Semper vero hæc resolutio ancipiti discrimine conjuncta est, quum facillime ob laxitatem fibrarum partis, cui innatus est, in cancerum transeat *a*), hinc tutissimum foret palliativam eligere. Nostris temporibus inclaruit remedium, & huic malo debellando non impar, cicutam puta *b*), cum qua & hic periculum faciendum esse credimus, atque illius usui patienter insistendum, quum omnino exempla prostent, ubi longo demum usu proficiam illam fuisse experientia demonstrevit.

stravit. In cura palliativa remedia omnia acria, stimulans
 c) sollicite vitanda & diluentia tantum, aperientia blanda
 adhibenda sunt. Cardo rei vertitur in stricta diæta ejusmodi
 feminæ ordinanda, in qua observanda illa eo scrupulosior
 sit neceſſe eſt, quo majora ipſi minimus neglectus creat
 damna. Hinc evitandus eſt omnis vietus viscidus, glutinosus,
 ne nova in vicinitate scirrhi oriatur obſtructio, nova inflam-
 matio, qua facillime sales in materia concreta hærentes extricati
 & activi redditu partis destructionem incipiunt, atque carci-
 noma producunt. Vietus acris, gelu nimium, & calor in-
 tensior eadem ratione nocent. Contenta potius vivat diæta
 lactea, adsumptis facilioris digestionis; oleribus mollissimis,
 radicibus paululum nutrientibus, aperientibus, temperanti-
 bus & leniter resolventibus, fructibus horraeis maturis, pa-
 ne bene fermentato & bis cocto, jure carnium juniorum
 animalium aromatibus non acuatum, & quæ ſunt reliqua.

a) HIPPOCRATES *Aphorism. VI. 38.* MAURICEAU T. I. Lib. III.
 Cap. XII. & XIII. DE LA MOTTE l. c. Lib. V. Cap. XV. Obſ.
 CCCCXXXVII.

b) STOERCK de *Cicuta*, Viennæ 1761. CRANTZ *Materia Medi-
 ca*, Viennæ 1762. T. III. p. 45. seqq. Cel. EHRHARDT *Differ-
 entia de Cicuta*, Argentorati 1763.

c) MAURICEAU *Aphorism. CCLXXVII. CCLXXVIII.* T. II. Obſ.
 CXL. CCCXXXV. DXXXIV.

§. LVI.

Restat symptomatum hoc malum concomitantium miti-
 gatio, quæ cum juxta dicta in therapia generali & speciali
 absolvenda ſit, nihil amplius adjungimus. Spero, L. B. ju-
 veniles hos conatus æqui ac boni eſſe consulturum.

T A N T U M!

G

• 88 (4) 88

!МУТИАТ


2

ULB Halle
005 361 729

3



WAN



DISSE¹⁴TATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
H Y S T E R I T I D E
PUERPERARUM,
QUAM,
ADNUENTE SUMMO NUMINE
EX AUCTORITATE ET CONSENSU
ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ,
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT
JOH. FRIDERICUS HULSEBUSCH
OSNABRUCENSIS.
AD D. VI. NON. MAJ. MDCCCLXIV.
H. L. Q. C.

ARGENTORATI.
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.